



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Eius submißio ac modestia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

mandatam confirmare Canisio; sed & ipsemet
fatebatur in eo munere nihil se præter obedi-
tiam reperire, quod in suam quidem personam
quadraret; ac verebatur ne sermonum causam
vndecunq; captans curiosorum hominum gar-
rulus, conflandæ inde Societati inuidiæ, tanquã
in publicarum se rerum administrationem im-
mittenti, occasionem arriperet. Ob eam cautio-
nem, nec eo minus, quod aptiora sibi rebatur hu-
miliora munera, rogauit Patres Romanos, quod
tamen salua vsquequaq; obedientia fieret, effice-
rent apud Pontificem, quod effecere, vt ab ea pro-
curatione liberaretur.

Instabant iam Comitiam, & magno studio re-
uocabatur Canisius Augustam. Quo cum aduo-
lasset, veteri instituto in templo principe Ieiunij
magni tractu conciones ad populum habuit tot
alias inter occupationes, vt prope miraculo esset,
quemadmodum hominis vnus infirmitas tam
multos, tamque graues caperet, aut sustineret cu-
ras. Idem Imperatricis rogatu semel quoque per
hebdomadã verba faciebat ad germanas ex eius
Aula Matronas, ac Virgines. Idem Pontificio Le-
gato Commendono aderat frequens, à quo & ad
animi

*Eius submis-
so, ac modestia.*

*Augusta plu-
rimum, &
maximo fructu
laborat.*